

HISTORIARUM INDICARUM LIBER QUINTUSDECIMUS.

TALIS viri nece, ac neophytorum acerba vexatione commotis bonorum omnium animis, haud exigua spes aliunde rerum utique lætiorum affulfit. Maritimum est oppidum Tanor, leucas ultra Goam circiter octoginta, eis Calecutum ad quindecim. ejus oppidi Rex e Brachmanarum ordine ac disciplina, cujusmodi plerique Malabaricæ terræ sunt Reges, in Lusitanum nomen a pueritia valde propensus, cum Cialensis arcis præfecto Ludovico Xiralupo (quam arcem a Nonnio Prætor exstructam in limite Calecutano docuimus) amicitiam ac familiaritatem inierat. Idem Vincentium Franciscanum, Goani Episcopi comitem, & Joannem Soarium Cialensem antistitem, ventitantes ad se, libenter audiebat. Horum præcipue stimulis discusso torpore, baptizatus a Soario, susceptus a Xiralupo & Cosmo Annio Quæstore, (qui tum forte, Cocino rediens, Tanore salutandi ejus causa descenderat) Joannis maxime nomen in gratiam Lusitani Regis desumpsit. Paulo post, uxor quoque sacro fonte lustrata, itemque e Cialensis reguli præfectis unus, & e Caimalibus seu dynastis alter. Verum hæc in occulto fiebant, ne quis gravior popularium motus existeret; atque adeo Rex ipse Tanoris, trina fila, Brachmanæ superstitionis insignia, palam e cervice gestabat: cum tamen idem ipse, Vincentii Patris munus, æneam icunculam Christi ad Crucem affixi, abditam foveret in sinu. Sub hæc neophytum Regem, adstringendæ cum Lusitanis amicitie causa, incessit cupido regiam ipsorum urbem ultro adeundi Goam; & familiariter cum Prætor & cum Episcopo colloquendi. Id quo tutius faceret, litteras ad utrumque dat; vetustum sibi hospitium esse cum Lusitano genere: nuper etiam illorum sacra sibi & uxori suscepta. Valde se optare, si per eos liceat, ad majorem percipiendum ejus necessitudinis fructum, dextrasque jungendas, Goam venire. esse præterea, quæ cum utroque communicari vehementer expediat. Ejusmodi litteris ad urbem allatis, adventus illius fama extemplo vulgata novo gaudio cunctos affecit. Præclarum atque honorificum sibi ducebant, sub nominis Lusitani tutela præsidioque latere quamplurimos; & Christianam religionem relictis patriis ritibus induisse haud ignobilem in iis locis Regem: atque, ut cupiditati est ferme adjuncta credulitas, vulgo ita differebant: Malabarici littoris incolas omnes, viri hujus exemplo atque auctoritate, in Lusitanicam fidem brevi esse venturos: simul, affuturo propediem hospiti, quod genus honoris habeatur, exquirunt. Super eadem re Prætor ipse consilium advocat. ei consilio interfuere delecti e nobilitate viri triginta: Quæstores regii tres: custos Franciscanorum; & Goanus Episcopus. Ambigebat Prætor, utrum
adve-